



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Librorum bonorum inopiam solertiſimè subleuat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ti precatione? Quam orandi rationem tenuit & Propheta Moyses, cum ardentem inuocaret Dominum, & iratum laboriose placaret, ut sceleratus populus poenas non lueret peruicaciae suae. Nam velut renitentem, & ad vindictam paratum Deum ita suis precibus mutauit, ac flexit, ut is quasi vim passus, atque ab orante superatus responderit, Dimitte me, ut irascatur furor meus. Nec est dissimile, quod Ieremiae precanti respondit iratus Deus. Non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Dei enim potentiam serui preces impediabant, inquit Hieronymus. Cur ergo non libenter, & frequenter mea & aliorum lugentium, siue poenas promerentium causa preces fundam, licet optatam gratiam non statim impetrem?

Deinde ad alia conuersus remedia, cum rerum circumspecto statu, vidisset maximè destitui eas regiones & salutaribus libris, & idoneis viris, qui operam, vocemque viuam conferrent: ad hæc duo præsidiorum capita ita curam aduertit, ut haud temerè quisquam de Germania melius in alterutro meritis sit. Nam præter raræ utilitatis monumenta, quæ ipse edidit, quoscunq; nancisci potuit ad scribendum idoneos omni ope incitauit,

*Librorum bonorum inopia solertissime subleuat.*

citauit, iuuuit, prouexit. Typographos excitauit, sibiq; conciliatos adduxit, vt vtilis pietati libros excuderent, multosq; ab se recognitos edendos curauit in omni genere. Itaq; cum omnia prius Hæreticorum venenatis libris, libellisq; plena essent, addita etiam formæ venustate, & characterum, & linguæ fraudulenta illecebra; nec quopiam catholicis hominibus porrigere manum liceret, quin inciderent in eiusmodi pestes: cum ipsimet Hæretici confarcinassent quàm plurimos novos, veteres autem omnes foede conspurcassent, Canisij mox in primis factum est cura, vt nullo in genere codicum vel innoxiorum copia, vel piorum deesset: quos etiam Dynastis, opulentisq; viris autor erat, vt emptos de suo per populū gratuito ferendos curarent. Literas Patrū nostrorum ex Indiis missas, cū expertus esset ad exsuscitandā in multis veterum Christianorū languentem iam pietatē nouę illius Ecclesię sanctū feruorem valere quàm plurimū, nihil non egit vt vulgare apud oēs posset. Ipsemet multas latinè conuertit, multas ab aliis conuertendas curauit, nec destitit, quoad Ioannes Petrus Maffejus eū laborē ex instituto suscepit. Ad extremū egit cum Prepositis

fitis Generalibus, vt haberent in societate homines vni aduersus Hæreticos scriptioni operatos. Quod cum sæpè egisset antè, vt à nobis quoq; supra est indicatum, affirmans putare se vix quicquam rectius, ac præclarius ad communem Ecclesiæ profectum ab societate institui, ac peragi posse, permansit in iis votis ad extremum vsque; & anno tertio, & octogesimo seculi eadem Præposito Claudio Aquaiuæ his verbis exposuit. Quoniam diuina bonitas ex variis nationibus multos præstantes, solideque doctos Theologos huic suæ societati suppeditat, quorum quidem vsus aduersus Hæreticos, grauißimas Ecclesiæ pestes, hodie grassantes maximus, ac vtilissimus esse potest, etiam atq; etiam Paternitatem tuam indignus licet filius rogo, ac obsecro, vt ex multis huiusmodi Theologis non Germanis, vel paucos seligendos, atq; in matura contra hos pestilentissimos Ecclesiæ Catholicæ aduersarios scriptione occupandos curare dignetur. Nam & Christi honos, & communis Ecclesiæ profectus, & peculiaris ratio societatis huius, quæ à pluribus, & petulantioribus hostibus, vt arbitror, appetita nunquam fuit: ac demum plurimorum imbecillitas,

*Optabat in Societate designari, qui scriberet contra Hæreticos.*